

Dissertatio medica inauguralis de cortice Peruviano. Quam ... / ex auctoritate magnifici rectoris Joannis Jacobi Schultens, ... pro gradu doctoratus, ... eruditorum examini submittit ... Joannes Fridericus Mautt, Petroburgo-Russus.

Contributors

Mautt, Joannes Fridericus.
Schultens, Jan Jacob, 1716-1778.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Theodorum Haak, 1760.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sua5avzj>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

219
MEDICAL SOCIETY OF LONDON

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CORTICE PERU-
VIANO.

QUAM

ANNUENTE DEO TER. OPT. MAX.

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

JOANNIS JACOBI SCHULTENS,

S. S. TH. DOCT. EJUSDEMQUE FACULT. UT ET LL. OO. IN ACAD. LUGD. BAT.
PROF. ORDINAR. COLL. THEOL. PRÆP. ET ILLUST. ORD. HOLLAND.
AC WESTFR. REGENTIS. MSS. LEGATI WARNERIANI INTERPRETIS.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*

et Nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini submittit

Ad diem 1. Decembris MDCCLX. H. L. Q. S.

JOANNES FRIDERICUS MAUTT,

PETROBURGO-RUSSUS.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud THEODORUM HAAK, 1760.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30418392>

S E R E N I S S I M O
P R I N C I P I
A C
DOMINO DOMINO
P E T R O

MAGNO PRINCIPI
T O T I U S R E G N I R U S S I Æ
H Æ R E D I T A R I O
N O R W E G I Æ

D U C I
SLESWICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITHMARSIAE

C O M I T I
OLDENBURGI ET DELMENHORSTI, ETC.

PRINCIPI AC DOMINO MEO
LONGE CLEMENTISSIMO.

32 ER EN 22 V MO

P R I N C I P I

A C

DOMINO DOMINO

P E T R O

MAGNO PRINCIPALI

TOTUS REGNI RUS

HEREDITARIO

NORWEGIA

D U C I

GENERICI, NORWEGIA, STORMANDE, DIWARRER

C O M I T I

OLIMNONGI ET DEWARRER, etc

PRINCIPALI AC DOMINO MEIO

LONGE CLEMENTISSIMO

SERENISSIME PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME



evidenses hasce pagellas **CELSISSIMO**
NOMINI TUO *audax consecrare co-*
nor, non quidem mori Academico inter Musarum cul-

tores vulgari morem gerere, sed Pietas, sed mens humillima submissione **TIBI** obstricta me eo incitare animumque addere potuerunt.

Pronam benignitatem **SERENISSIME PRINCEPS** summamque Clementiam in **TUÆ** non tantum regionis incolas, sed & alio sub cælo degentes venerabundi, admirabundique suspiciunt, quæ spem mihi quoque fecerunt, ut diluerent, si conatibus temeritatis quid inest.

Eo faciliore quoque negotio hanc gratiam me obtenturum esse sperare audeo, quum notum, quam prona sit **DOMINE CLEMENTISSIME**, qui litterarum, artiumque liberalium studiis incumbunt, **TUA** propensio. Quam prædicant, quæ Kieloni floret Academiæ Doctores, quam læta celebratura erit posteritas.

Permittas itaque, ut hoc quaecumque studii Medicæ

Speci-

*Specimen humillimæ submissionis meæ publicum testimo-
nium TANTO quidem PRINCIPE non satis
dignum, ex interiori tamen pectore pronatum sub poten-
tissimi Patronatus TUI tutela deponam.*

*Quod reliquum erit, supplices plicasque ad sidera
tollam palmas ardentissima pro TUA DOMINE
CLEMENTISSIME salute fundens vota, Velit
TE DIVINUM NUMEN quam diutissime
servare saluum atque sospitem una cum SERENIS-
SIMA CONJUGE, SERENISSIMA-
QUE MASCULA PROLE Patriarum virtu-
tum hærede, in summum AUGUSTISSIMAE
MAGNAE IMPERATRICIS atque
AUTOCRATRICIS gaudium atque oblecta-
mentum.*

*Annuat cunctis TUIS consiliis, quæ eo unice ten-
dunt, ut salus publica, civiumque TUORUM com-
modum atque felicitas promoveatur, ut exoptatissimos
inde*

*inde sortiantur successus. Latus diu nobis intersis, se-
rusque in coelum redeas*

*Sic devotissima mente vovet
atque precatur.*

**SERENISSIME PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME
SERENISSIMI NOMINIS TUI**

humillimus atque devotissimus


JOHANNES FRIDERICUS MAUTT.



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

CORTICE PERUVIANO.



§. I.

Inter alia, quæ peregrina loca nobis transmittunt vegetabilia, ad illud præcipue attendi meretur, quod sedula tali sub clymate degens hominum cohors, ad illos imprimis morbos, quibus frequentissime vexari solet, profligandos, miris posteris suis laudibus extollit & in suos tantum usus convertere studet. Hoc relatum legimus de Cortice, qui sub nomine Chinæ Chinæ ad nos defertur, quem Indi Gannaperide vocarunt, de cujus præstanti contra febrem virtute & illi qui vel a limine salutavit Apollinis templum, satis superque notum est. Anno 1649. celebrata hujus remedii virtus primum suum splendorem & in alias regiones emittere cœpit, dum Hispanus Præfectus Loxæ urbis in Americæ meridionalis regni peruviani provincia Quido, Uxori Proregis Comitissæ del Chinchon pertinaci tertiana febre ægram hoc corticis pulvere pristinam salutem restituit. Tanto hujus remedii amore capta, eximiam sibi comparavit quantitatem & primum eundem ægrotis distribuit, quare & pulverem Comitissæ vocare solebant. Dein hoc negotio pertæsa eundem patribus societatis Jesu commisit. Interim Jesuitæ Limenses per Procuratorem Generalem, qui dicto anno iter instituit, hujus pulveris copiam Cardinali de Lugo miserunt, qui primum quoque eundem in

A

Phar-

Pharmacopolio Collegii Jesuitarum Romæ ægrotis largiebatur; hinc aliud iterum acquisivit nomen pulveris Jesuitici, pulveris Cardinalis de Lugo. Ad Hispanorum tandem ora notitia ejusdem pulveris pervenisse dicitur anno 1650. quum Prorex Hispaniam iterum petiit, Medicus ipsius magnam quoque hujus pulveris copiam huc attulit, atque avaritia forsan nimis cupidus carissimo pretio vendidit. (a)

§. I I.

Accidit & novo huic remedio inevitabile fatum, quum ejusdem virtutes alii singularibus celebrabant laudibus alii e contrario illud ad orcum usque rursus damnare conabantur. Nec aliter fieri potuit; siquidem tanta hujus corticis copia quotannis colligebatur, (b) quantæ hæc regio largiundæ impar erat, eam proinde demum avaritia hominum ex aliis arboribus supplere studuit; inde periit medicinæ promittentis fides, periit observationum auctoritas. Hujus quoque remedii famæ obstitit insigne, quo vendebatur pretium, (c) ut quidam forsan Medicorum quum non illico lætum de una & altera dosi effectum mirari potuissent, de illo desperare, atque ægrotorum rebus consulentes, inefficacem medicinam diffamare ausi sint. Imo eo usque excanduit in hoc remedium quorundam Londinensium Medicorum ira, ut, ejusdem usum quam citius suppressere cogitarent, ne scilicet succincta febres obtruncandi methodo ægrotantium crumenas emulgendi occasio tolleretur. (d) In Italia tandem obstrepuere, uti refert TORTUS, omnes Medici FRASSONO, quem Præceptorem venerabatur, ut idem remedium ex Pharmacopoliis exulare debuisset (e). Sic jam fere de divino hocce cortice actum fuisse videretur, quum osorum numerum ubivis defensorum præponderasse legimus, ni ab Equite Talbor sive Talboth anglo anno 1679. per eundem hunc corticem, quem sub nomine febrifugi anglici jactitabat, debita atque repetitis dosibus felices institutæ fuerint curæ, ut inde omnium exterarum gentium admirationem sibi conciliasset. (f) Celeri itaque gressu fama hujus remedii anglici febrifugi sparsa non tantum in infimæ hominum conditionis circumferebatur ore, sed & ad Principum Regumque aulas pertransiit, ut ideo quoque LUDOVICUS VI-

(a) Confer. Mém. de l'Acad. Roy. des Sç. anno 1736. pag. 234. & MORTONI tractatus de febribus.

(b) Mém. de l'Acad. Roy. des Sç. l. c. p. 234.

(c) NEUMANN. prælect. chem.

(d) MORTON l. c. p. 47. Gen. edit. anno 1727.

(e) Therap. Spec. Libr. I. Cap. I. pag. 3.

(f) GEOPHROY Mat. Med. Tom. II. pag. 183.

VICUS XIV. prosperrimo hujus remedii eventu permotus fuerit largissimam auctori rependere mercedem. (a) Detecta interim hujus remedii LUDOVICO notitia justaque ejusdem adhibendi ratione, ingentem hujus corticis copiam undique afferri, atque ut non tantum intra sua mœnia maneret, publice civibus & in xenodochiis militum curæ medentium distribui jussit. Sic tandem per tot discrimina rerum bona hujus remedii causa triumphat, ut dum illis temporibus famam illius miris calumniis infectabantur, (b) nostris diebus summis laudibus extollant, quum cœco impetu diabolici quid aut venenati inesse arbitraretur vulgus, (c) hodie quodcunque cœlestis habet divinam prædicamus, adoramus benignissimi Creatoris sapientiam.

§. III.

Verum resuscitatum tunc temporis per Talbor anglum corticis chinæ remedium, infidæ barbarorum hominum curæ naviumque per Indias vagantium Ministris committi deberet, ut sera demum dies externa hujus corticis facies, fragrans odor, sapor amaricans & perpetua in curandis ægris felicitas cognitum reddiderint. Incitavit tandem hujus arboris fama, bonum commune civium, curiosorum industriam, ut ad dicta loca itinera fecerint, sicque illarum arborum affinitates in classes ordinare, discrimina definire studuerint. Hoc iter suscepit ILL. de la CONDAMINE atque illius anceps montis Cajanumæ ab urbe Loxa spatio duarum horarum remotæ cacumen ascendit quo famosarum ob corticem in Europa arborum luxuriæ sedes, ibique exactam arboris cum suo flore & fructu descriptionem exaravit, atque pulcherrimam iconem Actis Parisinis inseruit. Detecto itaque non fallituro arboris hujus character botanico, junctaque simul per longam jam annorum seriem sedula experientia avaram mercatorum industriam facile eludere possumus, uti CL. JUSSIEVORUM peritia flavum quendam corticem profligavit, qui brevi temporis spatio ingens generis humani præsidium tollere potuisset.

§. IV.

Est itaque boni atque genuini Corticis chinæ exterior facies scabra, aspera atque fusca, pallidis hinc inde punctis maculata, (d) musco
quan-

(a) Ibid.

(b) VOPISC. PLEMP. Cap. 3. & STURM. part. 1. pag. 9.

(c) MORTON. l. c. p. 47.

(d) COCHUS in Diss. L. B. hab. anno 1750. p. 21.

quandoque canescente obducta (a), interior autem lævis polita, colore cinnamoni obscuriorique adhuc paululum atque ferrugineo (b). Additur adhuc aliud bonæ notæ corticis signum, ut scilicet si ad radios splendentes solis frustra corticis diffracta inspiciantur splendescentes nitri adinstar crySTALLISATI atomi, si genuinus fuerit, intus occurrant, qui in spurio adque obsoleto omnino deerunt (c). Odore autem quem ut aliquod quoque bonitatis signum observare debemus gaudet quasi mucido atque leviter aromatico (d). Annotavit quoque Doct. BAALLEN in sua Diss. inaug. quodsi in pulverem cortex redigatur, opio respondentem odorem emittat (e). Sapor ipsius quoque considerandus venit, qui aromaticè amarus existit leviter quoque adstringens, dum dentibus teritur friabilis esse debet, nec viscidus, glutinosus nec ligneus (f), quod partibus suis jam exhaustum aut annosum denotat. Hoc eo præcipue efficiunt nimis lucri cupidi mercatores, ut scilicet aqua aut vino corticem infandant, inde partes resinoso—gummeas extrahunt (g), siccum demum corticem si suam penitus amaritiem perdiderit, alio succo uti aloës intingunt, eandemque iterum ipsi conciliare solent. Hanc quoque nefandam amaritiem restituendi encheiresin & in illo adhibere solet talis hominem pestis, qui propter longam jam annorum seriem saporem suum amisit (b). Exulat itaque omnis cortex, cui aliena est exterior facies alba aut plane flava, quam flavedinem curcuma radice inferre solent fraudulentis. Rejicitur omnis, qui vermibus exesus, quique maxime infelici navigatione aut Indorum incuria corruptus existit, dum crassa nimis frustra tenuibus miscent, nec ut optime exsiccentur destinatum tempus observant.

§. V.

Tradita nunc genuini corticis chinæ nota ad aliud contra fraudem hominum muniendi præsidium, quod hujus arboris character botanicus studio ILL. de la CONDAMINE declarat devolvemur. Minime itaque reprehendendum esse existimo, si quas ILL. hic Vir condidit fructificationis notas juxta exactam Botanicorum methodum ordine includam, quas annotavit arborum varietates quoque subjungam locum earundem

na-

(a) GEOPEROY l. c. p. 179.

(b) Ibidem.

(c) WALT. HARRIS in Pharm. antiern. Cap. 12.

(d) GEOFFROY l. c. p. 179.

(e) L. B. anno 1732. hab. p. 4.

(f) GEOFFROY l. c. p. 179.

(g) BLEGNY rem. Angl. p. m. 23.

(b) MORTON. l. c. p. 65.

natalem indicem variaque notatu digna, quæ omnia demum plurimum contribuent, quo bonum atque genuinum corticem a falso atque adulterato dignoscere queamus. Quum autem arboris corticem meum ferentis nomen plane ab Europæis negligeretur atque vago hominum arbitrio mox hoc mox aliud acquireret nomen, Indi quoque variis arborum generibus forte Quinquina imponere solerent, non potuit non CEL. LINÆUS juxta illas quas stabilivit denominationis regulas aliud substituire genericum nomen, quod Cinchonam vocat, quo historiæ hujus corticis rationem indigitasse videtur.

G E N U S.

- CAL. Perianthium monophyllum arcte ovarium cingens 5 dentatum persistens.
- COR. Monopetala, quam tubus longissimus erectus ex calice surgens sustinet. Limbus in 5 interdum 6 lacinias inæquales ad figuram ex ovato acuminatam accedentes margine ferrato instructas divisus.
- STAM. Quinque in ima fere tubi parte inserta æquali gaudent magnitudine nec extra tubum eminent.
- ANTHER. Singulæ singulis staminibus insident, figura oblonga.
- PIST. Erectum staminibus altius stigmate bipartito.
- GERM. Calice insidet conoideum.
- FRUCT. Calice superstite cinctus ventricosus bifariam dehiscens bilocularis, septo complanato distinctus intra septum & pericarpium parietes nidulantur.
- SEM. Plurima exigua placentæ adnata marginata.

Varias adhuc nobis recenset. ILL. de la CONDAMINE' arbores, quibus partim Quinæ Quinæ nomen imposuerunt incolæ, partim corticem quarundum arborum nostro miscuerunt, ut an hæ veræ arboris nostrum corticem ferentis species vocari mereantur ob descriptionis botanicæ penuriam nihil decidere valemus. Occurrit primo

Quina Quina arboris americanæ meridionalis variis in locis hospes & in provincia Maynas ad oram Maranon sub nomine de Tatche venit. In cujus corticem inflicto vulnere effluit resina fragranti odore prædita, quam ideo carbonibus ardentibus injiciunt, ut inde salutare confortantes effectus experiri potuerint. Semina fert Hispanis pepitas de Quina quina dicta, quæ figuram amygdalarum complanatarum æmulantur. Eximia gaudet amaritie hic cortex, quem antequam arbores ad urbem Loxam crescentes cognitæ fuerint, Jesuitæ de la Paz solliciti colligere studuerunt atque Romam miserunt. Postquam autem cortex, qui Loxæ

arboribus detrahebatur Romam quoque pervenerit, atque alterum ratione virtutis præponderaverit, omnem tunc suam auctoritatem atque valorem perdidisse dicitur.

Quina quina d'Ayavaca, de Rio Bamba de Luenza des Jaen adhuc notæ sunt arbores, quarum cortices quoque detrahare atque in usus divulgare solent Indi.

Cortex d'Alizier, qui a nostro ratione stiptici sui saporis facili negotio distinguitur, magis colore rubro interius gaudet, exterius vero albo.

Cortex Cacharillæ proxime quoque ad nostrum accedit, qui tamen variis adhibitis encheiresibus dignosci potest (a).

S P E C I E S.

Unicam satis certam novimus Cinchonæ speciem, quam ILL. de la CONDAMINE describit. Est ipsi

CAUD. Erectus, valde brachiatus, diametro 8 vel 9 pollicum.

FOL. Petiolata opposita ex ovato acuminata, quorum longitudinem nervus percurrit, qui plures laterales ramos alterno ordine dispositos de se dimittere solet.

Ex foliorum alis prodeunt pedunculi florigeri.

Quod ad illas 3 varietates, quæ describuntur in Act. Paris. attinet, rubram, flavam atque albam, quum has non nisi interior cortex distinguat, Botanici non est eo usque penetrare ut diversas arborum species efformet, quæ coloris mutatio variis circumstantiis ætati arborum, solo, plagæ adscribenda erit.

QUALITATES ET EXPERIMENTA CHEMICA.

Ad instituenda experimenta optimum selegi corticem, juxta illas, quas tradidi bonitatis notas.

Sumsi Unc. viij. superaffudi aqu. simpl. ℥xij loco calido fermentandi ergo per x. dierum intervallum seposui non fermentavit, sed situm contraxit. Destillata massa nec spiritum nec phlegma acidum spirans sed aquam odore corticis imprægnatam obtinui.

Corticis Unc. j. iteratis vicibus tamdiu aquam infudimus, usque dum nova infusa nil amplius extrahere vidi. Massam hanc loco quodam calido per hoc extractionis tempus detinui. Infusum hocce evaporatum exhibuit extracti aquosi sicci primi driij. Residuum corticem prius siccatum cum alcohole digessimus usque dum denuo affusum nec saporem nec

(a) Vid. Mém. de l'Acad. Roy. des Sc. l. c.

nec colorem amplius acquirebat, accepi inde extracti resinosi secundi gr. xvj. Aliud adhuc inii cum hoc cortice experimentum, institui itaque prius extractionem cum alcohole, ut in quam ratione pars resinosa cortici inhæreat, perquirere possem. Affudi scilicet Unc. j. corticis tamdiu alcohol donec nullum amplius solutionis signum apparuerit, largiebatur autem tunc cortex extr. resinof. primi dr. ij. scr. ij. In reliquam tandem massam tentavi adhuc aquæ vires, ut illa obtinerem quicquid adhuc inibi solvi potuerit. Post evaporationem autem aquæ institutam obtinui extracti aquosi secundi scr. IV. gr. V. Residuum Corticis ab hisce operationibus calcinavi, cineres elixivavi atque fluidum vase vitreo evaporavi quod tunc temporis in fundo tunica quasi erat obductum, exposui aëre, augebatur paululum massa, facto quoque prius adhuc cum syrupo violarum examine, quæ me certiores fecerunt de alcalini salis præsentia. Patet itaque ex his experimentis, quod in nostro Cortice in anatica fere quantitate partes laudabiles adsint ad inertes & terreas. Partes interim quoque gummosæ resinosas superare videntur (a). Ast talis est illarum partium nexus, ut quum partes gummosæ cum resinosis mucilaginis ope amico sint junctæ connubio, aqua semper non parum resinæ solvat, ut potiora tamen resinosis tribuere debeamus. Quod si nunc ad horum extractorum vires respicimus extractum aquosum utique activius esse resinoso prædicamus, ideo quoniam de utrisque participet, atque facilius ab humoribus ventriculi & intestinorum solvatur, quod præcipue in illis morbis contingere potest, ubi spissitudo humorum regnat, ideoque saponem naturales intestinis & ventriculo deficere solent, optime aquoso huic extracto vinosum substituitur, quod majores adhuc vires præstare poterit. Quod hætenus de extractis disserui, idem quoque de Tincturis ex eis paratis valet.

Olei essentialis, quod adhuc in nostro cortice hæerere suspicari licet, ne guttam obtinui (b).

Prodit quidem aperto igne destillato cortice oleum empyreumaticum, quod autem ex destructa partium, gummeo-resinosarum compage natales duxit.

Præ-

(a) Concludit GEOFFROY senior ex institutis experimentis quod plus resinæ foveat quam gummi. GEOFFROY junior in Act. Paris. 1738. duplicem inii corticem extrahendi methodum. primo dr. j. corticis obtinuit gr. xxvj. extracti resinosi primi. gr. iijß. extr. aqu. sec. ex eadem quantitate corticis gr. xx. extr. aqu. primi & gr. iij. extr. res. sec. NEUMANNUS l. c. p. 813. ex ff. j. extr. res. dr. x. scr. ij. & dr. vij. scr. j. extr. aqu. sic. & extr. aqu. prim. dr. vij. scr. j. & resin. sec. dr. vj. LOESEKE in sua mat. med. ex unc. j. per coctionem cum aqua accepit extr. dr. ij. gr. xxv. & cum alcohole examen institutum largiebatur dr. ij. & extr. aqu. gr. xxiv.

(b) Confer CARTHEUS. mat. med.

Præter recensita experimenta chemica, varia adhuc circa corticem institui alia cum variis liquoribus, variisque hominum animalium carniū frustis, ut quales post se adhuc relinquant mutationes, aliquomodo ad ipsius virtutem concludere possim. Hæc non nullis schedis dissertationis fini jungemus.

U S U S.

§. I.

Vegetabilis cujusdam vires lustrantes variæ eo perveniendi excogitatæ fuerunt methodi (a). Ast quum hæ omnes hucusque fallaces reperitæ fuerunt, probatas tantum corticis per experientiam virtutes juxta illas, quæ rationalis therapia docet actionem medicamentorum explicandi regulas proponere aggredior. Ex allatis ideo, quæ feci experimentis constat, corticem meum fovere partes resinosogummeas arctissimo sibi invicem vinculo junctas amaras atque subadstringentes concludi existimo, harum ope partium tales corticem quoque exercere vires, quas ab illis expectat medicina, partes scilicet irritabiles ad propiores contactus fortioresque invitare contractiones sicque fluidorum nimiam tenacitatem dividere atque fluidiorem reddere. Hanc quoque sententiam confirmat CL. HOFFMANNUS. Tam salutaris, inquit, & spectata corticis virtus est, ut roborando solidorum tonum, circulum sanguinis, excretiones maximeque insensibilem per cutis spiracula egregie promovet (b). His itaque sic comparatis fieri non potuit non, quin decantatam a peruviani regni præcipue incolis in curandis febribus intermittentibus virtutem hodie eodem cum successu medici experirentur. Quodsi enim in hisce febribus plethora ablata atque primæ viæ a multa vitiosorum humorum saburra, qua nunquam non tunc temporis sca- tent, probe purgatæ fuere, sicque sedata aliquantnm æstus febriliis causa, solidorum vires incitandæ sunt, ut ipsam materialem febris causam subigere atque mobiliorem reddere queant. Verum solidis tonum imprimendi facultatem corticem possidere, sanguinis spissitudinem dividere, im-

(a) Quidam per chemica experimenta vegetabilium virtutem extorquere sperabant sed vanus erat illorum labor, venenatæ enim ac blandissimæ plantæ eadem educta largiuntur. Imo quod eductis aliquando annumerare conantur, meri sunt ignis fœtus. Alii saporem & odorem fidos in detegenda plantarum virtute characteres pronunciant. Dantur autem plantæ parum & sapore & odore inter se diversæ. Nec plantarum classes hucusque adhuc desiderio satisfacere potuerunt, complectuntur scilicet blandissimas æque ac venenatas.

(b) Op. Tom. VI. pag. 32.

impuritates quoque quæ toties rursus febrium insultibus ansam suppeditare possent e corpore eliminare, experientia evicit. Ut ideo ab adæquato justoque ejus usu calorem vigorem, appetitum certissima alias restitutæ perspirationis insensibilis, motus tonici & æquilibrii naturalis signa, integramque sanitatem ab hoc cortice redire videamus.

§. I I.

In diversas sententias auctores, qui febrifugam corticis virtutem tradere conabantur, abiisse offendimus. Quidem eo usque pervenerunt ut tandem densa caligine operandi corticis chinæ modum adhuc suppressum latere fassi sint (*a*) alii virtutem adstringentem ipsi adscribere conabantur, (*b*) alii attenuandi facultatem suis experimentis firmarunt, (*c*) alii tandem vim roborantem & secretionem promoventem extollere studuerunt. (*d*) Verum quum in præsentî tractatione in singulos febrium cohortes, quibus cortex aliquid præstare valet aut præstare recusat inquirere non animus est, ab ulteriore de illo differendi sermone desistam. Eo autem nostra tendent verba, ut recensitis, quibus cortici tribuebant in variis morbis, virtutibus illius vim antisepticam, paulo ulterius rimari coner. Ne cæterum omnem obtrectatorum hujus remediî chorum intactum relinquam, qui adeo præjudiciis capti & irretiti, ut æqui rerum existimatores nunquam de illo evadere possunt. Verbis DIVI HIPPOCRATIS eis respondere audeo. Quæ profuerunt ob rectum usum profuerunt, quæ vero nocuerunt ob id quod non recte usurpata sunt nocuerunt. (*e*)

§. I I I.

Quum autem non decet Medicinam steare metis immotis; sic quoque celebratum usum corticis a febribus ad alios morbos curandos audaci non minus quam prudenti consilio transfulerunt Medici, atque toties eorum conatus felici coronatos fuisse eventu ex observatorum scriptis com.

(*a*) SCHELHAMMER de genuina febris curandi methodo p. 132. seq. BAALEN l. c. §. IV. MORTON. l. c. & alio loco classi antidotorum adscribi debet cortex & ejusdem actionem ita explicat, ut venenatum febris fornitem depellat & subigat.

(*b*) Adstringentem corticis vim nemo adscribit, qui illum perspirationem insensibilem & urinæ secretionem ciere animadvertit vid. Eph. N. C. vol. I. p. 276. & Mem. de l'Acad. Roy. de Sc. anno 1713. p. 45.

(*c*) FREINDIUS Emmenal. Cap. XV.

(*d*) LANCISIUS de noxiis palud. effect. p. 260. SEISSIUS in Progr. Helmstad. PITHÆCARN. Elem. med. phys. math. p. 89. aliique,

(*e*) Lib. de Arte §. VII.

compertum est. Igitur ob roborantem vasorum tonum atque validiorem eorundem in fluida actionem horum viscidas atque tenaces partes, multorum malorum fomitem dissolvere corticem atque in circulationis orbem reducere necesse est. Quemadmodum in illis morbis mirandum præstitisse effectum legimus, ubicunque sanguis & a sanguine secedentes humores tenacitate nimia peccant. In hæmorrhoidibus, obstructionibus infimi ventris, malum hypochondriacum generantibus (a) & illa tandem mensium ataxia (b) quæ a lymphâ nimis spissa & solidorum tono labefacto originem duxit. Verba CL. SYDENHAMI hic allegare operæ præ-tium duco, quæ dicta magis adhuc confirmare valent. In malo hysterico atque hypochondriaco corticem eximias mirandasque vires in sanguine & in spiritibus confortandis invigorandisque habere cujus scr. j. mane & sero ad septimanas aliquot deglutitum sanam firmamque corporis crasin, tam vires hypochondriacis quam fœminis hystericis diu multumque ægrotantibus dejectaque quasi jam corporis œconomia restituisse affert. (c)

§. I V.

Ab inordinato atque intempestivo corticis chinæ usu in febribus tanta quandoque mala excitata fuere, ut omnes sinistros effectus illi tribuerint Medici. Mirum autem omnino, est & plurimum famæ corticis confert, quod in morbos inconsiderate ab eo conjectos, sagax aliorum industria per idem remedium ex mortis faucibus eripuit. Valet hoc præcipue ubi totus corporis habitus aqua suffusus tumet, & hydropi proximus esse videtur. Fieri autem non potuit non, quin tristes hæ subsequutæ fuerint tragœdiæ, adscripsimus scilicet cortici virtutem fortiolem humoribus imprimendi circuitum, nunc vero si cohæsiō atque consistentia humorum tanta est, quanta fere in initio morbi, ut a solidorum viribus superari atque dividi nequeat, in angustissimos semper canales ulterius urgetur liquidum ut difficillime exinde reduci possit, hinc viscerum abdominalium obstructions & hydropes frequentissimi comites evadunt. Cum autem felix hujus morbi cura in eo versatur, ut æquabilis lymphæ fluxus concilietur, necesse erit, ut liquidum angustissimis tubulis impactum hærens solvatur simul quoque robur solidis procuretur, quo eo melius tena-

(a) Eph. N. 6. Cent. III. & IV. p. 450. Mémoir. de l'Acad. Roy. des Sc. 1713. TORRIUS l. c. p. 327. Novell. Goetting. anno 1745. n. 63. p. 524. ROSEN in Dissert. p. 52. refert studiosum alternis diebus adeo melancholiæ vexatum fuisse, ut quo se verteret, nesciret.

(b) Eph. Nat. cur. Cect. III. & IV. p. 383. Multa quoque exempla mihi nota sunt ægrotorum quæ per corticem a Cel. Prof. KAAU BOERHAAVE curata fuere.

(c) In suis op. p. 412. L. B. ed. anno 1726.

nacitas humorum auferri possit. Ad hunc itaque finem obtinendum efficacem suam præstantiam ostendit chinæ cortex (a) non solus quidem exhibitus sed salè quodam medio maritatus, quæ spissos humores infarctuum viscerum abdominalium causas resolvunt, robur vasorum adauget, ut sic demum secretio per urinam aut sudorem copiosior reddatur. Sic memini CEL. KAAU BOERHAAVE nobilem guendam septuagenarium a nimio emulsionis ex papavere parato potu asciticum factum corticis usus pristinæ iterum sanitati restituit. Quum is autem a dicto potu non amplius se abstinere potuisset recidivam passus subsequente anno vitam cum morte commutavit.

§. V.

Ad inimicos quoque intestinorum hospites expellendos miris laudibus nostrum corticem extollunt observatorum monumenta (b). Eas vires duplicem ob rationem præstare poterit quatenus amarus existit & vi sua qua pollet resolvente mucum intestinorum nidum vermium abstergit. Præcipuum harum virium exemplum nobis recenset. CL. van DOEVEREN in sua Dissert. inaug. pag. 76. dum ait in collegio casuali CELEB. Professoris WINTERI puerum febre 3^{tiana} simul & tænia laborantem 12 annorum consilium quærentem venisse, cui expulsus fuisse tæniæ frustum 12 circiter ulnarum ope laxantium, dein corticem peruvianum ad debellandam febrem adhibitum fuisse, primo ad unc. β. intra quatri-duum, dein ad dr. ijβ. cum rhei dr. jβ. quibus pulveribus semel iterumque adhibitis, plane a sua tænia liberatum. In puella 4 circiter annorum febre laborante corticem ad unc. j. exhibitum cum syrupo in conservam redactum e corpore eliminasse 3 lambricos teretes. (c)

§. VI.

(a) Eph. Nat. Cur. Vol. I. pag. 284. & Vol. V. pag. 394. Comm. L. N. anno 1722. p. 323. & anno 1738. p. 58. TORT. Libr. cit. p. 120. HEIST. Dissert. de Hydrope & tænia per corticem curata Helmst. 1740. WERLHOFF. Observ. de febr. lect. II. par. 7. pag. 59.

(b) Eph. N. C. Dec. II. anno 9. p. 24. & 51. anno 10. p. 229. & Dec. III. anno 2. p. 60. LANZON. Tom. II. observ. 61. pag. 398. ed. Lauf. 1737. TORT. p. 330. & 421. RAMAZ. in suis Epistolis epidem. p. 151.

(c) Van DOEVEREN Diss. Leid. 1753. Idem fere quoque exemplum hic allegare possumus. In consilium vocabatur pluries jam memoratus EXPER. KAAU BOERHAAVE a Viro EXPER. SCHILLING Doct. nobilis apud nos Gymnasii vulgo dicti Hoch adeliches Cadetten-Corps, ad nobilem quandam Dominam 50 circiter annorum, quæ irregulari mensium fluxu, vertigine, palpitationibus cordis, anxietatibus versus scrobiculum cordis, inflationibus laborabat. Pedes erant cedematosi, pulsus debilis. In causas itaque antecedentes inquisiverunt atque nimium piscium usum horum malorum causam esse contendunt. Hunc in finem itaque pulv. rhei. in forma pilul. adhibebatur bis de die scr. j. fumendum simul quoque Vinum roborans ex cortice peruv. paratum ipsi præscribebatur. Quibus post aliquot dies continuatis optatissimus inde succedebat effectus, omnia enim recensita symptomata in dies mitiora apparuerunt, cum alvinis excretionibus frustra tæ-

§. VI.

Nondum omnem corticis efficaciam ab Auctoribus hinc inde prædicatum absolvimus, sed longe lateque præstantissimi quique Medici ad pertinaciam morborum profligandam eam adhuc extendere solebant. Sic in affectibus capitis, mania SYDENHAMUS, (a) cephalalgia WEPFERUS, (b) hemicrania periodica MORTONUS, (c) & affectibus soporosis WERLHOFFIUS, (d) corticis usum summi fecerunt & ægris desideratissimam eo opem tulisse variis adductis testimoniis comprobarunt. Ast quomodo miros hosce effectus aliter explicare possumus, quam ex miranda robur solidis conciliandi virtute, ut tenuissimos quosque humores canaliculis suis infixos urgere atque in circulum reducere valeat. Audiamus qualem SYDENHAMUS quodam in loco (e) de hocce cortice egit sententiam. Inter simplicia cortex peruvianus primas obtinet, cum sanguinem corroboret vegetumque reddat, si ejus grana aliquot mane & sero assumantur, quodsi autem sedes mali non in Encephalo existit & per consensum tantum caput obnubiletur, ut in hemicrania periodica plerumque evenire solet, efficax tunc cortex & in hoc morbo prædicanda erit medicina. Verum & in aliis morbis, ubi omnis medicina inanis videbatur miracula sane præstitisse legimus. In Phtysi nimirum febre putrida comitata ægris, quos pro deploratis jam habuerunt, frequenti hujus corticis usu per plures menses & annos, ut solitis suis muniis rursus fungi potuerint, vitam protraxit MORTONUS, (f) cruda enim pulmonum tubercula suppurata, eoque pure infecta massa talem in corpore febrem accendebant, quam suppressendam cortex suam præstitit efficaciam, vulnerique pulmonum balsamica cum cortice mixta optimam afferre debuerunt medelam.

§. VII.

In hæmorrhagia uteri salutarem quoque corticis usum annotavit BIANCHI

niarum excludebantur. Continuata demum remedia per 2 menses adeo felicem fortiebantur eventum, ut quum frustra tæniarum exclusa metirentur 100 ulnas Brabantinas superarent, ultimo autem ingens satis mucii quantitas succedebat inde pristina iterum sanitati fuit restituta.

(a) A debilitate orta p. 102. 309.

(b) Observ. p. 110. FR. HOFFM. in Diss. de cort. peruv. Eph. N. C. Cent. III. & IV. p. 338. RIEDL. L. M. p. 131. corticem cum cinab. nativ. maritatum desideratissimam opem tulisse affert.

(c) l. c. p. 75. & 100.

(d) WERLHOFF. l. c. p. 106.

(e) p. 434.

(f) Tract. de Phtys. p. 74.

CHI (a) nec & hujus rei ratio longe quærenda erit, cur Celeberrimorum in hac arte Virorum (b) ad præcavendum abortum haud irrita erant conamina. Cortex enim nimium ad hæc loca sanguinis impetum refrenare poterit, dum robur vasis conciliando ea ad propiores contactus invitat, ut sub imminuto horum diametro fluidum aliorum iterum amandetur & æquabilior sanguinis fluxus producat. Hinc nec respondente per uterum sanguine foetus solutio non amplius timenda erit. Eadem hæc forsan valebit ratio, cur in phthysi ab hæmoptoe orta, cortex haud suum denegavit auxilium, experientia enim edoctus testatur MORTONUS; (c) quod ab ejus frequenti repetitione calor febrilis temperetur & intestinus sanguinis motus supprimatur consequenter quoque hæmoptoe recursus & phthysios progressus præcaveatur. In morbillis tandem (d) variolis, (e) febre scarlatina, (f) petechiali, (g) ubi materies morbifica destinato tempore e corpore haud penitus fuit eliminata & periodicis variis exacerbationibus & remissionibus sese alternatim excipientibus vexabantur ægri, ut brevi machinæ totius ruina imminere videretur, cortex optimum præstitit remedium. Hucusque enim tales de hoc cortice prædicavi vires quæ & hanc materiem ob valentiorum solidorum contractionem subigere, præparare, per destinata loca eliminare, sicque de repente febrilem luctam componere valebunt.

§. VIII.

Ultima quæ mihi dicenda adhuc restat, de hoc cortice virtus est toties jam ab Autoribus celebrata in gangræna & sphacelo dirissimis scilicet malis, quæ longe lateque serpendo singulis partibus mortem minantur, ni atroci ejus accessui efficacia injiciantur frena. Facile itaque concipi potest, quod partibus corruptione putredinosa tactis sit omnis medicina inanis & eas in integrum restituere longe superet artis opes. Quum autem illa vis præservatoria, ne proximas pervadat malum sedes, ab hoc cortice expectatur, haud ab re esse existimo, an efficax sit in his morbis remedium cortex, si ulterius inquirere hujus rationem indagare observatorum experientiam proponere, propositis in fine exemplis eam aliquatenus corroborare in me suscipio.

Scopo

(a) Hist. hepat. Part. III Schol. 5.

(b) BOERHAAVE de Vir. Medicam. p. 376. Par. edit. anno 1727. APINUS in Hist. febr. epid. p. 93. SCHELHAMMER de natura p. 248.

(c) p. 98. LOESELE in sua mat. med. p. 438.

(d) MORTON cap. IV. p. 25.

(e) MONRO in Act. Edimb. Tom. IV.

(f) MORTON cap. V. p. 31.

(g) Vid. Act. Erud. Lips. anno 1697. p. 27.

Scopo autem præfixo satisfacturus omnem gangrænæ & sphaceli doctrinam hic recensere plane superfluum judico, quippe quæ a Præstantissimis Medicis atque Chirurgis ubivis collecta prostat. Hic tantum generalia adducere sufficiet, quæ rationem loquuntur, cui blandissimæ alias corporis nostri humorum partes adeo invertuntur, ut putridum fubeant liquamen, solida quoque corrumpant & lividam loco cuidam maculam inurant, quæ pedetentim increfcit donec celerrime alia facie triste offerat. spectaculum.

§. I X.

Ad quatuor ita generales causas gangrænæ & sphaceli præsentia reduci poterit ad lentum scilicet humorum motum, uti in ætate senili, scorbuto a vita nimis otiosa orto; vel ad plenariam humorum in quodam loco quietem, uti omnes humores stagnantes in cavo abdominis thoracis &c., in vexatis, prolapsis intestinis, omento, suffocatis. Dein huc referendi sunt humores, in massa sanguinea retenti, alias ex ea eliminandi, qui autem sua indole resolutioni & putredini humorum idonei sunt, a cohibita scilicet urina, fœcibus alvis, fluxu dysenterico &c. Illa porro non parum eo quoque contribuent, quæ impediunt, quominus humores per nova assumpta potulenta & alimenta reficiantur. Hoc observatum fuit in longis inediis, obstructione aut disruptione viæ chyliferæ, diabete, passione coeliaca. Et tandem quæ corpori ingeruntur, per venena aut triste illud secale cornutum vel quæ per corticem cutis massam, subeunt, uti miasmata esse solent.

§. X.

His itaque nunc propositis quæstio indaganda atque resolvenda erit, an cortex putredini iniquum sit remedium? & quamnam efficaciam suam causam agnoscat? quum autem hoc malum diversis modis pronascei potest, & quidam ex allatis omnem plane artis opem eludant, illos tantum evolvere animus est, qui experientia probati fuere. Quinque scilicet casibus, uno excepto, vicit remedium & a vero haud aberrare credo, si, pertinaciam ægrotæ tantum in causa fuisse, assero, cur non & hic loci felicem cortex sortiebatur eventum. Omnia saltem redituræ sanitatis indicia apparuerunt, dum corrupta undique per suppurationem in sanis partibus factam separata fuere, quæ optima quæque nos sperare jubebant. Illi autem 4 casus commode ad primam & secundam classem §. præc. referri merentur. Ut igitur, quam ab experientia hariolari possumus, an cortex dissolutionem & humorum corruptionem arceat? salva sit conclusio, talia institui præeunte CL. PRINGELIO cum cortice exami-

examina, quæ eundem effectum adspirare debuerunt. Variis quippe affudi humoribus animalium diversis quoque carniū frustis corticis pulverem ejus infusum aquosum & vinosum, uti hæc omnia ex subjectis schedis apparent, & summa tandem eo rediit quod partes longe diutius a putredine fuerint conservatæ quam illæ quæ a cortice liberæ iisdemque locis & aëris usura gaudebant. Eo usque quoque processu ut & in putridis partibus ejus efficaciam inquirerem. Nec labor erat frustaneus, offendi enim foetorem, quem frustum exhibitum spirabat, sensim sensimque amitti, ut plane nihil putridi nares ferientis detegere potuerim. Cortex itaque inter antiseptica haud infimum occupabit locum.

§. X I.

Quomodo autem hanc virtutem exerit cortex nunc proximum erit. Effectum videmus, ratio quærenda. Novimus per experimenta chemica, corticem fovere partes resinoso-gummeas amaras & subadstringentes. An ex his ejus virtutem derivare possumus? in eo saltem consistit putredinis effectus, ut partes sanguinem constituentes sua cohæsione priventur, a se invicem discedant, acrimoniam contrahant, ita omnia, quæ proxima sunt maligno fidere adflent & corrumpant. Sponte itaque liquet illa remedia efficacia esse, quæ non tantum talem partium secessionem infringunt sed & pristinae suæ cohæsionis causæ evadunt. Quum igitur per experimenta cum sanguine instituta constat, quod cortex sanguinem calidum e vena emissum statim coagulet ita, ut partes ad propiores sui contactus invitentur & fila quoque carniū magis ad se invicem accedere visa sint, eundem quoque effectum & in massa sanguinea editurum esse existimo. An autem hæc vis partibus resinoso-gummosis erit adscribenda? hoc quidem non videtur, gummi enim ammoniacum & sagapenum per experimenta quæ CL. PRINGEL instituit nullum fere antisepticæ virtutis effectum monstrarunt. Quibus ergo palma tribuenda? saltem non uni sed omnibus quas continet partibus & amaris & subadstringentibus, in quibus autem hæc consistunt, explicatu difficile erit.

§. X I I.

Gangrænæ itaque & sphaceli causis, modo quoque corticis operandi per experientiam cognitis reliquum erit, ut ad resolutionem casuum propius accedam.

Ratio gangrænæ & sphaceli senis, de quo historia 2^{da} loquitur, videtur composita esse & referri debere ad primam & secundam causarum §. IX. Summa enim virium prostratio & materiæ alvinæ retentio,
tristis

tristis ipsius affectus rationem in se habere videntur. Putrida enim ex foecibus alvinis resorptio, sensim sensimque ita humores invertere valet, ut, quoniam ob defectum virium vitalium e massa exterminari non poterat, post breve temporis intervallum ex sua natura hominem ad exitium præcipitare possit. Inde ablato in nostro sene per scalpellam corrupto, ne ulterius proserpat malum simul quoque materie alvina crebrius eliminata unice ratio habenda erit, ut massa sanguinea per putredini iniqua corrigatur & tonus solidis concilietur. Hoc cortex præstitit, addidit vim solidis, quod præcipue ex pulsu percipere licuit, ut humores crebrius circumagantur & corpori inimicum ex eo expelli potuerit, hinc quoque accedit, ut ægrotus morti fere proximus cum sanitate in gratiam rediret.

Quod tres reliquos casus attinet, I, III & V. ad eandem classem secundam §. IX. referendi erunt, corticis autem usus circumspectus esse debet in partibus gangræna affectis, quæ ab inflammatione originem duxerunt, notavit hoc jam CL. PRINGEL. *Le Quinquina ne réussira point dans la gangrene, si les vaisseaux sont trop pleins où le sang trop épais. Mais si les vaisseaux sont relâchés & le sang, dans un état de dissolution ou disposé à la putréfaction, soit par une mauvaise constitution, où pour avoir absorbé quelque matière putride le Quinquina est alors un spécifique souverain, dans les Observ. sur le Mal. des Arm. p. 198. T. II. Paris 1755.* Nec hoc mirum cortex enim in massam sanguineam ingestus talem produxit mutationem, ut plus noceat quam prosit, ni creberrimis V. S. ei succuratur, inde dein fit, ut solida a distendente nimis sanguinis impetu liberentur per corticem sensim sensimque tonum recuperent, in impactum agant, illum urgeant, concomitantem febrem minuant, & sic felicem resolutionem producant. Quod si vero putrida materies fuerit resorpta sanguinique mixta, illam invertere sicque tristem sequelam præcavere poterit.

§. XIII.

Auctores qui efficacem hujus corticis in gangræna & sphacelo virtutem experti sunt, recensebo & Diss. finem imponam.

Gangrene guérie par le moyen du Quinquina vid. Act. Ed. Par. 1742. T. II. pag. 479. & T. III. p. 38.

Gangrene arrêtée par le moyen du Quinquina de M. SAMUEL GOOLDEN Chirurgien à Bridgnorth dans le Comté de Shrop.

Altera observatio p. 49. par MONS. J. PAISEES Chirurg. à Glasg. T. IV.

Recueil des plusieurs observations sur les Gangrenes guéries par le moyen du Quinquina pag. 54, 62, 63, 66, 67, 72. T. V. pag. 115.

Obser-

Observations sur les Effets du Quinquina dans les Gangrenes, les Ulceres & la petite verole par M^r. MONRO Professeur à Edinbourg.

Ubi in Gangræna & sphacelo a causa tam externa quam interna ortis mira corticem præstitisse a Medicis æque ac Chirurgis exhibitum offendimus.

WERLHOFE l. c. p. 333.

HEISTER in Eph. N. C. V. v. pag. 520.

ROOSEN in Diff. cit. p. 56. gangræna a causa interna orta & fanata in viro 76 annorum.

PAPPELBAUM in sua Diff. inaug. Goett. hab. 1743. observasse refert, senem a febre maligna cum gangrana pedis dextri per cort. peruv. sanatum.

Transact. Angl. Vol. vij. pag. 647. In Gangræna sicca.

In Act. Bonon. T. ij. part. i. pag. 196. 206.

VATERI Dissert. Witt. hab. anno 1734. Commenc. Litt. Nor. anno 1733. pag. 174. 345. 417. anno 1735. pag. 4. & 1736. pag. 92.

C A S U S I.

Anno 1751. die 22. Junii hora antemeridiem X^{ma}. me accersi jussit Classis Centurio nomine KASKIN, ut cuidam suorum servorum, propria manu cultro armata in miserum suum corpus sævienti, medelam iterum afferre debeam. Post institutum itaque examen vulnus omnium maximum in umbilico deprehendi, pollicis latitudinem adæquans, quod non tantum omento sed & intestinorum tenuium portioni transitum concessit, alterum regionem epigastricam dextram 3 circiter digitorum latitudine a cartilagine xyphoidea distante occupabat, quod & omenti frustum dimisit; tertium vulnus sternum habuit, quo autem non nisi integumenta læsa offendi. Primum autem non tam ob magnitudinem, sed ob partes quas constrictas tenet, imminentis periculi præsagium ferebat, quum intestina æque ac omentum jam tumida atque ex rubicundo in atram vergente colore notata fuere; horæ quippe spatium jam transactum erat quo vulneratum humi prostratum repererunt, culter aliquot passuum ab ipso remotus jacebat, in cujus apice omenti frustum adhuc hærebat. Calida itaque linteamina, irriti repositionis conamine, partibus imposui lacte aqua adulterata ebria, quæ identidem pro differentia caloris gradu admovebantur. V. S. quoque Unc. xij. circiter in brachio institui. Quum autem illum, quem per fatus intendi finem, nondum obtinere potui, ut prolapsis repositio conciliari posset atque styli sulcati vulnus ampliandi ergo immissio adhuc dum denegaretur, fomentorum usum continuavi simulque enema domesticum ex

furfuribus aqua coctis Unc. vij. additis Ol. Lini Unc. ij. admoveri jussi, nullus inde quidem subsequeretur effectus. In consilium itaque alium artis suæ peritum Chirurgum nomine SCHULTZIUM vocavi, ut compositis viribus malum debellaretur. In commodum interim situm æger locabatur atque dum irrita adhuc erant & hujus viri adventu omnia conamina anceps tunc remedium experiri melius esse duxi quam nullum, acu pertundere cœpi intestina ut hæc aëre quoque distenta collaberentur. Attamen & tunc temporis ægre stylum fulcatum in vulnus immittere potui, intestinis licet paululum collapsis atque reclinatis a D^{no} SCHULTZIO. Tandem felici fausto omine desiderio potitus dilatato inferiora versus caute Scalpello vulnere, prius ordine naturali intestina reposui, tunc quoque omentum, cujus sanæ parti vinculum injeci, abscissa corrupta, ne & pars sincera traheretur. His itaque compositis ora vulneris per 3 futuras quas cruentas dicunt, contigua reddere studui, una in ipso umbilico ut media, altera dein inferiorem & altera superiorem locum tenuit. Super imposui lintheamina carpta atque glutinante quodam emplastro aptiorem vulneris unionem concilare tentavi. Eadem cura atque deligationis methodus & in altero vulnere institui, absque quidem injecta partibus futura. Tertium simplici emplastro glutinavi. Quum autem felix hujus curæ eventus in restituendo pristinum intestini vigorem consistere debuit, simulque omnia mala quibus omentum subire potuisset, avertendo, totum abdomen duplici panno laneo decocto ex herbis resolventibus atque cephalicis aqua coctis, addita eadem quantitate vini albi intincto tegi, his aliud lintheamentum superimposui atque fascia quam scapulare dicunt, firmavi. Ut eo aptior autem extravasati sanguinis ex abdomine effluxus conciliari posset, abdomini incumbere jussi ægrotum. Vehementi interim febris qua ægrotus non potuit non in hoc morbi genere corripitur V. S. atque mixturis convenientibus camphoratis obviam ivi. Potus ordinarius erat Decoct. hordei cum succo citri mixto.

Vesperis quum ægrotum adii, ex pulsu nullum adhuc mutationis signum in læsis partibus evenisse perspexi, quare urgente necessitate 3^a institui V. S. Unc. vj, enema quoque domesticum applicari jussi, inde alvus suo officio respondit, totam autem noctem inquietus transegit.

Die 23. V. S. quoque repetii, ubi crusta quoque inflammatoria superficiem sanguinis occupabat, mixtura continuavi atque frequenti fomentationum usu, horis autem xi matutina atque 5^a pomeridiana juscula carne vitulina parata propinari jussi cum succo citri mixta. Hoc quoque die, quum vesperi eum iterum adii, mixturam renuit, vomitus enim ciere sibi persuasit, quare sequentem pulverem ei subministravi ℞. pulv. cort. peruv. Unc. j. tart. vitr. dr. ij. div. in xx. doses omni trihorio unam dosin assumendam. Enema iterum versus noctem admoveba-

vebatur, quiete quasdam horas somno transegit.

Die 24. sedato licet aliquantulum febrili æstu V. S. tamen adhuc institui Unc. iv. 3. pocula dicti jusculi hausit, hora matutina 9, circa meridiem alterum atque hora 3 promeridiana tertium. Cum præscripto pulvere atque fomentationibus continuavi. Circa horam 8^{am} vespertinam enema iterum admovebatur, sic quoque quiete per aliquot horas somno transegit.

Die 25. febriculæ signum adhuc notatur singulis quaternis horis pulveris præscripti dosin sumsit atque 3 fovebatur abdomen. Frequens interim decocti hordei potus nauseam ipsi quoque creavit, ut aliud decoctum nimirum panis cum succo citri substituere coactus fuero, nec venter leni amplius jusculo contentus erat, quare avenam mundatam inibi decoqui jussi. Quietē totam ferenocem somno indulxit. Nullum enema admovebatur, alvus suo munere fungitur.

Die 26. ægrotus in integrum mox restitui videtur, nulla fere febricula vexatur. Usū pulveris atque jusculi dicti continuavi. Frustum panis secundarii ipsi edere concessi vesperi alvus iterum ducebatur.

Die 27. febricula cessat, atque cum Vulnus visitarem, quod quavis fomentorum applicatione nunquam prætermisi futurarum usum plane inutilem offendi, interim & hac adhuc deligatione intactas reliqui. Præscriptum pulverem cum jusculo ægrotus assumpsit. Vitellum ovi cum frusto panis secundarii quoque deglutivit.

Die 28. in optimo statu ægrotum reperi præscripta remedia atque alimenta sumsit.

Die 29. futuram supernam solvi simulquoque filum, quo omentum ligavi cum conjuncta adhibita cautela eduxi. Fomentorum imo & pulverum usum continuavi.

Die 30. futuram mediam solvi.

Die 1. Julii futura tertia soluta, fomenta sicca abdomini imposui, cum pulvere præscripto continuavi 3 tantum de die, semel per diem alvum deposuit. Cingulum quo cursores publici utuntur abdomini applicui. Pauxillum carnis vitulinæ circa meridiem assumpsit. Roborandi ergo vinum quoque medicatum ex herbis roborantibus atque cortice peruviano præscripsi, de quobis 4 cochlearia haurire debuit.

Die 14. Julii e lecto surgere atque in hippocausto obambulare concessi.

Die 15. laxans rhabarbarinum assumpsit, quod 3 alvum movit, exactam interim diætā observavit, ita ut 3 septimanarum spatium liberioris aëris usura frui potuerit. Cingulo per integrum anni spatium uti coactus fuit.

CASUS II.

Anno 1756. Mense Januarii vocatus in domum Cubicularii AUGUSTISSIMÆ MAJESTATIS RUSSICÆ ILLUSTRISSIMI COMITIS JAGUSCHINSKY, qua centenarium jam senem lecto abdomini incumbentem, atque dirissimo uti ajebat dorsi furunculo ægrum cura submitterem, alit loco affecto explorato, totam regionem lumbarem gangræna tactam, mediam vero partem sphacelo jam corruptam offendi. Profundas itaque statim scarificationes parte sphacelata infligi necesse erat, ne serpendo immedicabile reddatur malum, ora quoque caryophyllorum oleo inunxi, superadditis plumaceolis, quæ ungu. digest. ægyptiaco mixtum exceperunt, his demum splenia fomento aqu. calc., acet. cerv., sal. ammon. intincta superimpofui, ut eo diutius autem calor partibus conservaretur cataplasma, ex mica panis herb. scord. & far. sem. lini in aqu. & acet. cerv. coctum applicui atque convenienti fascia omnem apparatus firmavi. Hac iterum deligatione peracta in reliquum corporis statum quum inquirere cœpi, pulsus erat debilis summaque virivm prostratio totum occupabat corpus, alvum jam per 9 dies obstruclam habere referebat ægrotus. Hoc itaque malum statim avertendi ergo clysmata admovebantur domestica sale communi acuata, tertium demum adhibitum dura scybala atra alvo eluit. Ad gangrænam sphacelumque avertendam, vires amissas restituendas sæpius probatum corticis chinæ remedium in usum vocavi atque singulis duabus horis dr. ß. exhibui. Potus autem ordinarius ex aqua qua panis decoquebatur constabat addita 6^{ta} parte vini albi generosi, jusculum carnis quoque singulis ternis horis assumpsit ægrotus. Altero die externa æque ac interna remedia adhibebantur. Bis de die vulnus deligavi, atque hinc inde sphacelatam partem profundius adhuc incidi opus erat. Interfuit & præsens vidit hoc die ægrotum Vir b. m. EXPERIENTISSIMUS atque EXCELLENTISSIMUS КААУ BOERHAAVE Med. Doct., Anat. & Phys. Prof. Acad. Petropot. membrum Patronus Fautor post fata colendus quamdiu spiritus reget artus. Felicem enim illum prædico diem, quo ab eo hospitio exceptus, ut interpretis munere fungerer, quod grata mente recordor, perdidi oraculum, quod in rebus dubiis semper consulere licuit. Separatio jam vesperi sphacelatæ partis contingere videtur. Hac quoque nocte uti & præcedente per aliquot horas somno incubuit. Tertio die fomenta atque cataplasmata continuato quoque pulveris usu admovebantur, separationis tunc temporis sphacelatæ partis majus apparebat indicium. Singulis quoque quaternis horis jusculum ægroto exhibitum fuit atque tempore vespertino alvus clysmate domestico ducebatur.

Quar-

Quarto die præscriptos adhuc pulveres cum jusculis atque potu ordinario assumsit, bis quoque de die poculum parvum vini rhenani cum frusto panis secundarii excepti concedebatur. Omisi nunc fomentum continuato singulis adhuc horis cataplasmatibus usu. Hanc quoque noctem bene somno transegit.

Quinto die pulveri corticis chinæ tart. vitr. miscui, ut singula dosi gr. XXV. cort. cum gr. V. salis eodem uti antea temporis intervallo uteretur. Vesperis inde sponte alvum deposuit. Pulsus fortius jam micare incipit atque deperditas corporis vires ægrotus iterum acquirere videtur.

Sexto die pulsus quoque validus digitos feriit corporis vires augentur majorem quoque puris copiam vulnus genuit.

Septimo die ad XVj. usque singulis tantum ternis horis dosim pulveris præscripti sumebat, reliqua autem eodem tempore exhibebantur ægrotis. Quotidie alvus sponte sine clysmate munere suo fungitur, quum antea per 6 vel 7 usque dies obstructa erat. Quum autem in vulnere nil amplius corrupti deprehendebatur Ung. digest. addita 4^{ta} parte Balsam. peruv. vulnus deligare atque omnem ejusdem ambitum empl. oxycr. tegere cœpi. Apophyses autem spinosæ vertebrarum 3 & 4 lumbarium nudæ & alienatæ parum apparuerunt, quibus lintamina carpta sicca tantum imposui. Pulveris 4 tantum adhuc de die assumsit, jusculum, cui mundatum hordeum decoquebatur, atque carnis frustulum circa meridiem assumsit. Bis quoque de die 2 pocula vini rhenani hausit. Horum interim medicamentorum atque alimentorum usus continuabatur 3 circiter septimanarum spatio, ut seni hoc tempore pristina corporis vires redierint. Laxans adhuc ægrotis ex rheo cum sale medio præscripti, huic dein vinum quoddam medicatum ex rad. roborantibus, cort. peruv., rad. rhei atque sale medio compositum subjunxi, bis de die Unc. ij. sumendæ quo usque continuavit, denec vulnus 13 septimanarum spatio penitus glutinatum fuerit. Quod si nunc pulveris corticis peruviani quantitatem, qua ægrotus utebatur, notamus illa ultra duas libras ascendit, nullum quidem molestum symptomata ægrotus expertus est, quod quidem auctores de frequenti hujus remedii usu divulgare solent. Felix hujus morbi eventus non tantum remediis sed & sollicitæ curæ Clementissimi atque Benignissimi Domini de servi sui salute tribuendus est. Salvum atque sospitem centenarium hunc senem dimisi, per litteras dein de ætate ejusque vitæ infelici fine ab Illustrissimo Comite Mæcenati optimo certior factus sum, quod centesimum jam sextum annum superaverit, quum curæ submitterem, decimo dein anno, quum domus scalam descenderet, festigio pes fallebatur, atque maximo impetu pronus in terram cadebat a quo altero die suum debitum quoque naturæ persolvit.

CASUS III.

Anno 1756. die 14. Julii pueri 14 ætatis inter ludendum crus dextrum cum pede extremo gravi vulnere a procidente vanno, quo cereviiarii utuntur, affligitur, ut inde omnis tibiæ cutis dilaceraretur atque tendines musculorum flexorum pedes nudi apparuerint. DOM. PAULSON Chirurgus aulicus, Vir artis suæ peritissimus, cujus viri curæ puer commissus erat ab AUGUSTISSIMÆ MAJESTATIS hoc tempore Cubiculario ILLUSTRISSIMO COMITE SCHEREMETEFF deligationem præsentē EXPERIENTISSIMO atque EXCELLENTISSIMO VIRO KAAU BOERHAAVE instituit, postea quoque V. S. Unc. vj. instituit.

Altero die DOM. PAULSON singulari, qua mē dignatus est amicitia rogavit, ut curæ hujus juvenis quoque interesset. Soluta itaque fasciarum apparatu pedem extremum gangræna affectum atque uno loco sphacelo jam corruptum esse vidimus. Cutem interim, quæ a partibus soluta adhuc pendebat abscidimus atque sphacelatæ parti scalpellum admovimus, imposito desuper statim fomento putredini iniquo, reliquam autem vulneris partem convenientibus remediis deligavimus. Sanguinis unc. iv. adhuc privare puerum consultum duximus simulquoque pulverem chinæ singulis duabus horis scr. j. assumere debuit ægrotus. Propter calidiorem autem cœli temperiem bis de die vulneris cura habebatur, ut omnis putredinis causa arceretur, atque eo citius purum redderetur vulnus. Annuit nostro labori benigna fortuna dum 5 dierum intervallo transacto vulnus jam egregie rubere naturaliter sentire sicque omnia puritatis signa in illo percipere licuit. Puer hic per omne hoc tempus pulvere corticis chinæ utebatur, accurate interim observata diæta vulnus 6 septimanarum spatio penitus glutinatum erat absque ulla in incidendo molestia.

CASUS IV.

Anno 1757. die 28. Augusti cubiuli virginis pedes domus ILLUSTRISSIMI COMITIS ZERNICHEF AUGUSTISSIMÆ MAJESTATIS Cubicularius post profligatam colicam pictonum paralyti tangebantur. Accerfebatur ab ILLUSTRISSIMO COMITE Vir EXPERIENTISSIMUS KAAU BOERHAAVE, qui domum curæ habebat, ut hanc virginem suæ curæ quoque submitteret. Post plurimas interim institutas quæstiones, mater hujus ægrotæ & in dorso vulnus quoque habere referebat. Quum autem ægra vulnus inspicere recusaret, corium vitulinum, quod ungu. alb. camphor. exceperit, illi submittebatur.

Altero

Altero die invita locum monstrare debuit tribus jam locis sphacelo corruptumprehendimus in utrisque trochanteribus majoribus ossium femoris atque extrema parte ossis sacri. Scalpello statim incidebantur atque ora caryophyllorum oleo inunxi, superimposui ungu. digest. cum bals. peruv. atque tinct. succini salina mixtum, quibus dein fomentationem ex speciebus resolv. cum sale ammon. aqua & acet. cerev. coctum. Calorem dein conservandi ergo cataplasma adhuc admovi ex mic. pan. herb. scord. & far. sem. lini aqua & acet. cerev. coctum. Quotidie tres tantum doses dr. β . ponderis Chinæ Chinæ assumfit. Fomentum adhuc altero die præscripsi ex herb. absynt. marrub. alb. ment. scord. paratum atque singulis binis horis admovebatur.

Tertio die sal medium cort. chin. adhuc addere consultum duxit Vir EXPERIENTISSIMIS KAAU BOERHAAVE, ut alvum fluxilem experiatur ægra, quem Virum singula deligatione peracta de ægrotæ statu certiorrem feci, singulis ternis horis dr. β . capere debuit ægrota de pulvere, ungu. priori aliud nunc substitui ungu. digest. nempe cum ægypt. mixtum. Inde quoque factum est ut post crebrius applicatam fomentationem atque cataplasmatibus usum felicem fortiebatur hucusque eventum. Quum autem dicta remedia cort. chinæ omnia renuerat, ut mortem eo citius sibi conciliaret, diarrhœa vexabatur.

Septimo die pulv. cort. peruv. dr. vj. rhei dr. j. in xiv. doses dr. β . singulis ternis horis porrigi jussi in aqua ubi panis decoquebatur. Suppuratio retrocedebat, quum ægra plane omnia medicamenta interna respiceret inefficax atque inanis quoque erat externa medicina.

Die 12 prioribus locis, quibus jam corruptæ partes ablatæ fuerunt jam sphacelus sese iterum monstravit, materiæ demum quum illi intus per medicamenta resisti non potuit, venis concipiebatur, inde aphthæ apparuerunt atque absque medicamentorum usu die 16 Sept. vitam cum morte commutavit.

C A S U S V.

Anno 1757. die 27. Oct. media nocte crebro ictu quidam pulsabant januam, qua aperta introducebatur domum proprio sanguine conspurcatus nobilis quidam juvenis, nostrum implorans auxilium. Ex somno quoque revocatus fuit EXPERIENTISSIMUS DOM. KAAU BOERHAAVE ægrotum visitandi ergo, eodem quoque tempore accersi jussi dextrimum Chirurgum aulicum DOM. PAULSON, ut auxiliatrices hac in re manus præstaret. Ante omnia autem vinum calefieri jussi ad faciem sanguine abluendam atque vulnus a cruore purgandum. Partes cartilaginossæ nasi a sinistro latere versus dextrum fere abscissæ erant cum frusto genæ dextræ ita tamen, ut in angulo cartilaginis nasi latere dextro adhuc firmæ

mæ erant. In præsentia Viri EXPERIENTISSIMI atque Chirurgi dicti naso 3bus futuris ordinariam sedem conciliare tentavi, partem autem genæ empl. glutinante iterum restitui. In nares autem turundas immisi. Altero die mane hora 8^{va} ægrum adii, pulsus febrilis erat, gena dextra valde tumida atque gangræna tacta. V. S. statim instituebatur ꝑ. j. in corpore succis pleno. Solvi paululum futuras atque ungu. digest. vulnus deligavi, fomentum desuper ex vino & aqua paratum admovi huic demum aliud substitui ex spec. resolventibus constans in vino & aqua coctum atque pulv. cort. peruv. præscripsi pro dosi dr. β. singulis duabus horis in seq. Infus. Thei sumendum ꝙ. Herb. agrim., veron., cap. ven. ana dr. iij. flor. malv., alth., samb., viol., ana dr. ij. rad. fœn. excort. dr. vj. m. f. spec. pro potu.

Vesperi, quum ægrotum adirem inflammatio paululum remittebat atque suppurationis signa apparebant, continuavi medicamentorum usum. Tertio dein die fere in totum sedata inflammatione atque suppuratione præsentē futuras paululum strictiores feci, assumsit æger pulveres, fomenta quoque diligenter admovebantur.

Quarto die vulnus in gena plane purum offendimus, usum interim medicamentorum continuavi. Quinto dein die fomenta omisi atque pulverem cort. chinæ, deligatio quoque vulneris semel tantum per diem instituebatur.

Séptimo die futuras omnes amovi ita ut spatio 18 dierum omnia sanata atque curata fuerint.

Notandum erit, quod ad infusum aquosum æque ac vinosum parandum sumserim unc. ij. corticis & vini albi generosi & aquæ unc. xx., quæ per quatrimum in vasibus detinui atque ex cortice defusum, experimentis distribui, nec hoc prætermittendum, quod ex iisdem semper subjectis carniū frustra intelligantur ubi in diversis schedis litteræ præfixæ sibi respondent.

Experimenta cum carne bovina
instituta.

Die 3. April unc. ij. carnis in apertum vas
immisi, libero aëre exposui.

Die 6. Odor ad putredinem pronus. Su-
peraffudi aqu. ft. cort. peruv. unc. ij.

Die 7. Infusum rubrum acquisivit colorem,
mucus ad fundum vasis secessit. Odor cor-
ticis peruviani.

Die 8. Odoris fere expers.

Die 9. Fœtere incipit, aquam effudi atque
superaffudi massæ unc. ij. inf. vin. cort. per.

Die 11. Mucor gryseus apparuit, caro al-
bida. Odor vini & corticis peruv.

Die 13. Infusum turbulentum. Odor vi-
ni minuitur.

Die 15. Infusum limpidum.

Die 17. Caro ad flavedinem inclinat, mu-
ci major quantitas.

Die 21. Crusta in superficie. Odor aci-
dulus.

Die 23. Fœtere incipit.

Experimenta cum carne bovina die 13. Apr. instituta.

unc. ij. Carn. unc. ij. aqu. ft. cort. peruv.

Die 14. Apr. Odor corticis peruviani, in-
fusum colore rubro.

Die 16. Infusum magis rubro colore tin-
ctum, caro albida, odor idem.

Die 17. Odor perire incipit.

Die 19. Aqua turbulenta, crusta oleosa
apparet, odoris expers.

Die 20. Odor acidulus.

Die 21. Fœtere incipit.

Experimenta cum carne vitulina
instituta.

Idem quoque eodem die cum unc. ij. car-
nis vitulinæ institui experimentum.

Die 6. Odor acidulus. Superaffudi aqu.
ft. cort. peruv. unc. ij.

Die 7. Infusum vin. rhen. mentitur, odor
cort. peruv. Mucus infundo vasis.

Die 9. Odor acidulus.

Die 11. Fœtere incipit, aquam effudi at-
que superaffudi massæ unc. ij. infus. vin.
cort. peruv.

Die 13. Odor vini & cort. peruv. caro al-
bida, mucus gryseus.

Die 15. Muci major quantitas, caro ma-
gis albida.

Die 19. Odor vini minuitur.

Die 23. Vini odor plane periit. Crusta
tenui superficies obducta.

Die 25. Odor acidulus.

Die 27. Fœtere incipit.

unc. ij. Carn. unc. ij. aqu. simpl. coctæ.

Die 14. Odor & color carnis.

Die 15. Aqua rubra, caro hinc inde albe-
scere incipit, odor acidulus.

Die 16. Crusta oleosa in superficie.

Die 17. Aqua turbulenta.

Die 18. Fœtere incipit.

A.

A subjecto 25. circiter annorum, 22. dierum spatio jam de mortuo, obstructionibus infimi ventris laborante.

Ponderabat caro unc. j. dr. vj.
pulv. cort. peruv. dr. ij.

Die 2. Febr. colorem suum naturalem atque consistentiam amisit, aliqualem jam fœtorem de se dimisit.

Die 6. nullus fere fœtor sed odor acidulus, pulvis contraxit humiditatem.

Die 10. cum odore acidulo fœtor.

Die 11. fœtor augetur, superficies quasi lanugine obducta.

Carn. simpl. unc. ij.

Die 24. Fœtor, caro muco obducta.

B.

A subjecto febre acuta demortuo, 5. dierum spatio defuncto, annorum circiter 30.

Carnis unc. ij.
pulv. cort. per. dr. ij.

Die 2. Conservat naturalem colorem atque consistentiam, nullus fere fœtor.

Die 6. Pulvis humiditatem contraxit.

Die 10. Odor acidulus.

Die 12. Acidulus fœtor,

Die 16. Fœtor augetur.

Carn. simpl. unc. ij.

Die 4. Muco levis obducta, color naturalis, odor a naturali recedere cœpit.

Die 6. Naturalis periit color, fœtere incipit.

C.

A subjecto apoplexia sanguinea tacto, 9. dierum spatio defuncto, annorum 35.

Carnis unc. ij.
pulv. cort. per. dr. ij.

Die 2. naturalis coloris vigor sed quandam mollitiem acquirere videtur & fœtorem quandam emisit.

Die 6. Humiditas pulveris, fœtor quidam.

Die 10. Jungitur acidulus odor.

Die 12. Acidulum odorem fœtor superare videtur.

Die 16. Fœtor augetur, pulvis lanugine quasi obductus.

Carn. simpl. unc. ij.

D. 4. Muco obducta caro, naturalem colorem perdidit, odor acidulus.

Die 5. Fœtere incipit.

D.

E.

F.

A subiecto foeminino catarrho suffocativo laborante, 6. dierum spatio mortuo, annorum 35.

A vacca 2. dierum spatio occisa.

A bove eodem tempore occiso.

Carnis unc. ij.
pulv. cort. per. dr. ij.

Carnis unc. ij.
pulv. cort. per. dr. ij.

Carnis unc. ij.
pulv. cort. per. dr. ij.

Die 2. Naturalis perit color, quandam mollitiem atque foetorem contrahit.

Die 2. Statum naturalem conservat.

Die 2. Naturalem statum conservat.

Die 6. Foetor augetur, major corticis humiditas quam in reliquis.

Die 6. Major corticis humiditas notatur.

Die 6. Major humiditas corticis.

pulvere alteram carniū partem eo induxi.

Die 10. Acidulus odor cum foetore.

Die 10. Acidulus odor.

Die 10. Odor acidulus.

Die 12. Foetor acidulus, humiditas reliqua experimenta superat.

Die 16. Odor augetur, anguli vasis hinc inde madidi.

Die 16. Odor augetur, latera quoque vasis madida.

Die 14. Foetor augetur, pulvis summam humiditatem contrahit, hinc inde mucidus.

Die 20. Pulvis madet, caro quoque madida, acidum odorem cum foetore spirat.

Die 18. Pulv. volatilem emit odorem.

Die 22. Foetor augetur.

Die 20. Odor volatilis augetur adeo penetrans qualis raphani rust. esse solet.

Die 22. Foetor.

Carn. simpl. unc. ij.

Carn. simpl. unc. ij.

Carn. simpl. unc. ij.

Die 4. Febr. Muco obducta, naturalis perit color, foetere incipit.

Die 4. Naturalis carnis color, sed humida redditur.

Die 4. Carnis naturalis color, sed mador incipit.

Die 6. Madida caro, cui acidulus jungitur odor.

Die 6. Caro madida cui acidulus quoque jungitur odor.

Die 8. Odor augetur, naturalis color perit.

Die 8. Odor augetur naturalis, color successive perit.

Die 10. Guttæ aqueæ quasi in superficie carnis, foetere incipit.

Die 10. Superficies carnis guttis quasi mucidis hinc inde notata, foetere incipit.

A.

Carnis unc. j. dr. vj.
Infus. vin. cort. per. unc. ij.

Die 4. Febr. Infusum turbulentum colore gryseo, nullus fere odor.

Die 6. Infusum limpidum fit, mucus gryseus in fundo vasis. Acidulus odor.

Die 8. Caro albescere incipit.

Die 12. Odor acidulus augetur, caro alba quasi mucobducta.

Nullum notabile mutationis signum usque ad diem 16. Mart. crusta quasi alba superficies infusi obducta, odor acidulus minuitur, infusum habet rubicundum colorem.

Die 22. Infusum turbulentum, foetere incipit.

Die 24. Foetor augetur.

Carn. unc. j. dr. vj.
Infus. aqu. cort. per. unc. ij.

Die 4. Febr. Infusum turbulentum colore carneo, foetor quidam.

Die 6. Infusum limpidum, mucus albidus in fundo vasis.

Die 10. caro albescere incipit, mucus ex albo in rubicundum inclinatur colorem, foetere incipit.

Die 12. Foetor augetur.

B.

Carnis unc. ii.
Infus. vin. cort. per. unc. ij.

Die 4. Infusum turbulentum colore gryseo, nullus odor.

Die 6. Infusum fit limpidum, mucus gryseus in fundo vasis. Acidulus odor.

Die 1. Caro albescere incipit.

Die 12. Odor acidulus augetur, caro alba.

Nullum notabile mutationis signum usque ad diem 14. Mart., odor acidulus minuitur, infusum ad rubicundum colorem inclinatur.

Die 22. Nullus fere odor.

Die 24. Mucor in superficie notatur, quem separavi, foetor incipit.

Die 26. foetor augetur.

Carn. unc. ij.
Infus. aqu. cort. per. unc. ij.

Die 4. Infusum turbulentum colore carneo, nullus foetor.

Die 6. Infusum limpidum, mucus albidus in fundo vasis.

Die 10. Odor acidulus, caro albescere incipit.

Die 12. Foetere incipit.

Die 14. Foetor augetur.

C.

Carnis unc. ij.

Infus. vin. cort. per. unc. ij.

Die 4. Infusum turbulentum colore gryseo, nullus fere odor.

Die 6. Infusum limpidum fit, mucus gryseus in fundo vasis. Odor acidulus.

Die 8. caro albescere incipit.

Die 12. Odor acidulus augetur, caro alba.

Nullum notabile mutationis signum usque addi diem 14. Mart. infusum ad rubicundum inclinatur colorem, odor acidulus minuitur.

Die 22. Nullus odor.

Die 24. Infusum turbulentum, foetor.

Die 26. Foetor augetur.

Carnis unc. ij.
Infus. aqu. cort. per. unc. ij.

Die 4. Infusum turbulentum colore carneo, foetor quidam.

Die 6. Infusum limpidum, mucus albidus in fundo vasis.

Die 10. Odor acidulus, caro albescere incipit.

Die 12. Foetere incipit.

Die 14. Caro flavescere incipit, foetor augetur.

D.

Carn. unc. ij.

Infus. vin. cort. per. unc. ij.

Die 4. Febr. Infusum turbulentum, colore gryseo nullus fere odor.

Die 6. Infusum limpidum fit, mucus gryseus in fundo vasis. Odor acidulus.

Die 8. Caro albescere incipit.

Die 12. Odor acidulus augetur, caro alba.

Nullum notabile mutationis signum usque ad diem 16. Mart., crusta alba obducta superficies, odor acidulus minuitur.

Die 22. Infusum turbulentum, foetere incipit.

Die 24. foetor augetur.

Carnis unc. ij.

Infus. aqu. cort. per. unc. ij.

Die 4. Infusum turbulentum colore carneo, foetor quidam.

Die 6. Infusum limpidum, mucus albidus in fundo vasis.

Die 8. Odor acidulus.

Die 10. Caro albescere incipit, mucus in fundo vasis ad rubicundum inclinatur colorem, foetere incipit.

Die 12. Foetor augetur.

E.

Carn. unc. ij.

Inf. vin. cort. per. unc. ij.

Die 5. Febr. Infusum turbulentum, colore gryseo, nullus odor.

Die 6. Infusum fit limpidum, mucus gryseus in fundo vasis. Acidulus odor.

Die 8. Caro albescere incipit.

Die 12. Odor acidulus augetur, caro alba.

Nullum notabile mutationis signum usque ad diem 18. Mart. infusum mucidum, odor acidulus minui videtur.

Die 20. Mucor augetur odor acidulus perire incipit.

Die 28. Infusum turbulentum, foetere incipit.

Die 30. Foetor augetur.

Carnis unc. ij.

Infus. aqu. cort. per. unc. ij.

Die 4. Infusum turbulentum colore carneo, nullus foetor.

Die 6. Infusum limpidum, mucus albidus in fundo vasis.

Die 10. Caro albescere incipit, odor acidulus, muci major quantitas.

Die 16. Infusum turbulentum, caro flavescere incipit jungitur foetor.

Die 18. Foetor augetur.

D 3

F.

Carn. unc. ij.

Infus. vin. cort. per. unc. ij.

Die 4. Infusum turbulentum colore gryseo, nullus odor.

Die 6. Infusum fit limpidum, mucus gryseus in fundo vasis. Odor acidulus.

Die 8. Caro albescere incipit.

Die 12. Odor acidulus augetur, caro alba.

Nullum notabile mutationis signum usque ad diem 18. Mart. infusum mucidum, odor acidulus minui videtur.

Die 20. Magis mucidum infusum, odor acidulus minuitur.

Die 28. Infusum turbulentum, foetere incipit.

Die 30. Foetor augetur.

Carnis unc. ij.

Infus. aqu. cort. per. unc. ij.

Die 4. Infusum turbulentum colore carneo, nullus foetor.

Die 6. Infusum limpidum, mucus albidus in fundo vasis.

Die 6. Caro albescere incipit, odor acidulus, mucus ex albo in rubicundum vergit colorem.

Die 16. Infusum turbulentum, caro flavescere incipit, jungitur foetor.

Die 18. Foetor augetur.

Ex-

Experimenta cum sanguine bovis die 15. Martii
instituta.

Sangu. unc. ij.

Die 16. Mart.
Seri quid e san-
guine secessit.

Die 18. Seri
major quanti-
tas, odor carni
similis.

Die 21. In su-
perficie oleo-
sæ partes nata-
bant, foetere in-
cipit.

Sangu. unc. ij.
Infus. vin. cort. per.
unc. ij.

Die 16. Potum Cof-
fee æmulatur, in su-
periore parte liqui-
dum separatum.

Die 18. Odorem vi-
ni emittit.

Die 24. Copia liqui-
di in parte superiore
augetur in inferiore
autem in massam coi-
re incipit.

Die 26. In superfi-
cie partes oleosæ ap-
parent.

Die 1. Apr. Majus
in fundo vasis coagu-
lum, odor suavis spi-
rituosus.

Die 5. Odor sua-
vis fermentans.

Die 10. Odor vini
minuitur.

Die 12. Major par-
tium oleosarum co-
pia, vinum odorem
amittit.

Die 16. Odor vini
periit.

Die 18. Odor ace-
tum olens.

Die 20. Foetere in-
cipit.

Sangu. unc. ij.
Inf. aqu. cort. per.
unc. ij.

Die 16. Color potu
Coffee vividior.

Die 20. Color liqui-
di obscurior, odor
carni similis.

Die 22. In superio-
re parte oleosæ par-
tes, odor corticis pe-
ruv. proprius.

Die 26. Odor fer-
mentans, coagulum
in fundo vasis, in su-
perficie partes oleo-
sæ apparent.

Die 1. Apr. Majus
coagulum in fundo
vasis, odor aromati-
cus.

Die 3. Odor muc-
idus.

Die 5. Odor muc-
idus fortior uti & coa-
gulum in fundo va-
sis.

7. Odor peregrinus.
8. Foetere incipit.

Sangu. unc. ij.
Pulv. cortic. peruv.
dr. j.

Die 16. Tota massa
in inferiore parte per
vas rubra apparuit,
in superficie atro co-
lore.

Die 18. In superio-
re parte spuma ap-
paruit.

Die 20. Odor car-
nis tota massa colore
purpureo nitet.

Die 22. Odor cor-
ticis peruviani pro-
prius.

Die 26. Odor fer-
mentans suavis.

Die 28. Massa ares-
cere videtur.

Die 1. Odor acidu-
lus.

Die 5. Foetere inci-
pit.

**Experimenta cum sanguine virginis instituta, paule ante obstructio-
nibus mensium laborantis die 24. Martii.**

Unc. ij. Sang.
Inf. vin. cort.
per. unc. ij.

Unc. ij. Sangu.
Infus. aqu. cortic.
per. unc. ij.

Unc. iß. Sangu.
puls. cort. peruv.
dr. j.

Unc. ij. Sangu.

Die 25. In su-
perficie spuma,
liquidum colo-
re badio, odor
vini.

Die 25. Spuma in
superficie liquidi, li-
quidum purpureo co-
lore, in infima parte
obscurum gaudet.

Die 25. Spuma in
superficie, liquidum
rubicundo in ima par-
te badio colore, coa-
gulum in fundo va-
fis.

Die 25. Purpureo co-
lore superficies splen-
det, feri quid feces-
sit, coagulum colore
obscurum.

Die 27. Ma-
jor liquidi pars,
in fundo in mas-
sam coire inci-
pit.

Die 27. Major li-
quidi pars, poma a-
cida olet.

Die 27. Liquidi ma-
jor pars.

Die 27. Serum ad
rubrum vergit colo-
rem.

Die 29. Carnem o-
let.

Nullum nota-
bile mutationis
signum usque ad
diem 5. Apr.
Crusta mucida
in superficie.

Nullum notabile mu-
tationis signum us-
que ad diem 1. Apr.
Odor fermentans, in
parte suprema oleo-
sæ partes, liquidum
ad atrum inclinatum co-
lorem, majus coagu-
lum.

Die 29. Odor fer-
mentans.

Die 1. Apr. Odor
mucidus, liquidum
e vase emissum vi-
num batavum rubrum
mentitur.

Die 30. Partes o-
leosæ in superficie,
foetere incipit.

Die 31. Foetor au-
getur, serum effudi-
mus pond. dr. vj.
miscui cum unc. j.
Infus. aqu. cort. pe-
ruv. colorem carnis
acquirat.

7. Vini odor
minuitur, cru-
stam mucidam
separavi.

3. Odor fermentans
perire incipit.

5. Odor carnem o-
let.

7. Foetere incipit.

Die 3. Odor muc-
idus fortior, arere
incipit massa.

Die 4. Massa quasi
sicca apparet atque
colore rubro nitet.

Die 7. Mucor totam
massam obduxit, in-
cipit foetere.

Die 3. Apr. spuma
aderat in superficie,
infusum colore erat
carneo, inferius albi-
da massa odoris ex-
pers.

Nullum notabile mu-
tationis signum us-
que ad d. 13. cru-
sta in superficie, car-
nem olet, pars supe-
rior infusi obscurior

Die 15. Foetere in-
cipit.

Expe-

13. Odor aro-
maticus.

17. Odor fere
nullus.

19. Foetere in-
cipit.

Experimenta cum sanguine foeminae instituta temperamenti sanguinei.

Fœtum 9. mensium spatio jam alentis. Venam secui die

1. April. hora X^{ma} matutina.

Sang. unc. ij.

Infus. aqu. cort. peruv.
unc. ij.

Sang. unc. ij.

Infus. vin. cort. peruv.
unc. ij.

Sang. unc. j.

pulv. cort. peruv.
dr. ij.

Die 1. Apr. Hora 6^{ta} pomeridiana, Spuma in superficie, serum rubro colore tinctum, coagulum in fundo vasis obscuro colore gaudet.

Die 3. Pars suprema vinum batavum rubrum æmulatur, majus coagulum in fundo vasis colore hepatico, odor spirituosus.

Die 7. Odor fermentans, oleosæ partes in lateribus vasis.

Die 9. Crusta incipit in superficie vasis, odor acidulus.

Die 11. Crusta mucida, fluidum odoris fere expers.

Die 13. Fœtere incipit.

Die 1. Apr. Spuma in superficie, infusum rubro colore, infima pars coagulum erat badio colore, odor vini.

Die 3. Major liquidæ copia eodem colore, infima pars colore obscuriore hepatis simili.

Die 7. Odor vini minuitur, color coaguli potum chocoladæ cum lacte adulteratum mentitur.

Die 9. Oleosæ partes in lateribus vasis.

Die 11. Odor aromaticus.

Die 13. Crusta mucida quam separavi.

Die 15. Odor aromaticus minuitur.

Die 17. Odor acidulus prodit.

Die 21. Odor mucidus.

Die 23. Fœtere incipit.

Die 1. Apr. Crusta spumosa superficies tegitur florida, coagulum rubicando colore, feri quid secessit.

Die 5. Odor carnis recentis, crusta adhuc superstes atque coagulum.

Die 7. Carnis odor fortior.

Die 9. Mucidus odor.

Die 11. Mucor atque fœtere incipit.

Die 1. Apr. Sanguinem sumsi vena emissum foeminæ 23. circiter annorum, temperamento cholericò sanguinei, quæ 9. quoque mensium spatio foetum utero aluit hora x. matutina.

unc. ij. sangu.
unc. ij. infus. aqu. cort.
peruv.

sangu. unc. ij.
Infus. vin. cort. peruv.
unc. ij.

sangu. unc. iß.

Die 1. Apr. Hora 6^{ta} pomeridiana aperto vase odor spirituosus nares feriit, infusum vinum rubr. holland. æmulatur, coagulum rubicundo colore.

Die 1. Apr. Spuma in superficie, liquidum potum coffee mentitur, infima pars coagulum erat colore corticis cinnamomi.

Die 1. Apr. Spuma florida in superficie, serum viridi colore, coagulum gryseo colore.

Die 3. Apr. Major liquidi Copia.

Die 3. Spuma in superficie, major pars liquidi, odorem vini emittit.

Die 2. Seri quid secessit.
Die 3. Seri major quantitas, odor carni similis.

Die 5. Coagulum colore hepatis.

Die 5. $\frac{1}{2}$ Coaguli aderat in fundo vasis.

Die 4. Foetere incipit.
Die 5. Foetor augetur seri separati unc. ß. cum unc. ß. infus. vinos. cotr. peruv. miscui.

Die 7. Odor fermentans, oleosæ partes in lateribus vasis, crusta in superficie incipit.

Die 7. Crusta liquidi superficies obducta, odor vini minuitur.

Die 6. Mucus dimidium vasis replevit colore albido, odor vini & corticis peruviani.

Die 7. Odor vini fortior.

Die 9. Odor mucidus.

Die 9. Odor aromaticus oleosæ partes in lateribus vasis.

Die 8. Odor vini minuitur.
Die 9. Odor olei expressi odori similis.

Die 11. Foetere incipit.

Die 15. Crustam separavi, odor aromaticus minuitur.
Die 16. Odor acidulus.
Die 19. Odor mucidus.
Die 21. Crusta mucida, atque foetere incipit.

Die 12. Odor olei minuitur.

Die 13. Odor vini levis.

Die 20. Odor fere nullus.
Die 21. Foetere incipit.

